



SMaximus insigni eruditio[n]e & morum inno-
centia præditus fuit. Itaq[ue] Christianos ad Rhe-
num existentes in uera fide confirmauit, atq[ue] alios
ad Christi regnum sua prædicatione pellexit. Vn-
de à Christianis circa Moguntiam existentibus E-
piscopus suscep[t]us est. Id quod factū est sub Con-
stantio & Constante Imperatorib[us], anno Christi
345. cum Liberius Romanam Ecclesiam guberna-
ret. Eo autem tempore Arrianismus ubiq[ue] inuale-
scebat. Itaq[ue] eos magno animo confutauit, atq[ue] fi-
lium patri cōsubstantiale[m] asseruit. Scripsit etiam
aliquot Homelias, in quib[us] uerā de trinitate sen-
tentiam copiose exposuit. Cum hoc modo magna

sanctitate ijs in locis præcesset, atq[ue] uerbo Dei homines pios pasceret, tandem
mortuus extra ciuitatem in uico Falheim, ut etiā antecessores eius, instar uul-
gi sepultus fuit. Verūm postea Hildebertus Archiepiscopus eos ad S. Alba-
ni templum transtulit, atq[ue] honorifice sepeliuit. Anon.